## Pogius

POGIVS Antonio Lusco Veronensi s. d. p. Est mar. M.
Tullii in secundo de oratore libro, ut oppinor, sententia: Non
videri sibi liberum esse, qui non aliquando nichil agat. Versabantur
profecto illi excellentes viri in omnium gentium dominatrice re p. tot
variis, tum publicis, tum privatis in rebus, ut ad relaxandos
a continuis curis animos libertatis loco ponerent, si nihil agendi
vacuum quandoque tempus concederet. Nos vero Antoni sumus ea sententia, non
solum liberi, sed longe omnium liberrimi simus, ac pene dissoluti, quibus
non aliquando ut illis ad recreandum animum, sed fere semper ad rela-
xandam mentem et ingenium per ignaviam nihil agendi otiosi spatium
concedi videmus. Nec enim demandatur nobis quicquam publici
muneris: nec ipso otio, quod datur frui licet, observantibus
nutum principis, et semper rerum agendarum expectatione suspensis.
Miserrima igitur videtur esse conditio nostra, quibus neque otii, neque negotii
ullius negotii constare potest. Et dum lucelli nescio cuius spe tenemur,
nihil est certum, nihil exploratum nobis, quod constitutum habeamus,
vel agendi, vel quiescendi temporis: suspensi animis, atque his rebus
intenti, que parum habeant commercii cum virtute. At vereor, ne me-
rito, et nostra plane id nobis culpa eveniat, non aliena, qui
tam longe absimus ab eorum preceptis, quos quottidie legimus, tractamus
in ore, et in manibus habemus. Mihi quidem consideranti sepius utriusque
nostrum institutionem indignissimum videtur esse iis studiis, quibus ab ineunte
etate deditis fuimus, iisdem capi erroribus, quibus plurimi mortalium,
et ea sequi, ea querere, non que virtus et ratio prescribit nobis, sed que
vulgi oppinio ducit esse preclara. Nam si ceteri homines, quibus
nullum ingenium, nulla doctrina, nulla bonarum artium insunt studia,
recta vivendi nequeunt rationem intueri, nequaquam id mirum videri
debet. Feruntur enim qui communis erroris impetu, quo alter alterum tendit, ad
ea expetenda, ad que est omnium concursus, tanquam in eis sit vite beate
finis constitutus. Itaque alii student opibus, et dignitati, alii hono-
res ambiunt, quosdam vexat cupido dominandi. Non nulli
voluptatibus deduntur. Plurimi ardent pecunie cupiditate, ad
quam cumulandam nullum terminum faciendum putat. At vero nobis, qui
maiorem anteacte etatis partem consumpsimus in studiis humanitatis, consumpsimus
quo nos preceptis ad honestatem, et decus instituere debuerunt,
turpissimum videri debet, implicari etate nostra iam rebus comparandis,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0063
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG